



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 52. Epistolæ Lanfranci ad Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

absenti id fuisse concessum, hoc te honore  
 lubentissime prosecuti fuiffemus, ne longi  
 itineris molestiis fatigari coactus fuiffes.  
 Nunc autem necessarium nobis videtur, te  
 Romam iter suscipere, tum ut de hac cau-  
 sa, tum etiam de ceteris omnibus matu-  
 rius deliberemus & certius statuta perfi-  
 ciamus.

Sæculum XI.  
 A.C. 1072.

## §. LII.

*Epistolæ Lanfranci ad Papam.*

Duas etiam habemus Lanfranci literas  
 ad Alexandrum Papam datas. In  
 una in memoriam ei reducit modum,  
 quo invitus in Sedem Cantuariensem  
 evectus fuisset, & subjungit: *In sublimi  
 loco positus quotidie tantas angustias mæ-  
 rorem & profectus spiritualis jacturam in  
 me ipso patior, in aliis video, audio, &  
 experior tantam animorum perturbatio-  
 nem, ærumnas, damna, tantam obstina-  
 ciam, pravitatem, impudicitiam, tanta  
 Ecclesiæ detrimenta, ut me vitæ meæ tæ-  
 deat. Sæpe ingemisco, quod in hæc tem-  
 pora reservatus fuerim. Nam non so-  
 lum quæ nunc sentimus mala sunt, sed et-  
 iam multo pejora ventura prævidemus.  
 Itaque, per Deum obtestor te! sicut gra-  
 vissimum officium tuo imperio, cui resiste-  
 re nefas erat, humeris meis imposuisti,  
 ita nunc onus intolerabile eadem auctori-*

ep. I.

Sæculum XI. *tate detrabe, & ad institutum monasti-*  
 A.C. 1072. *cum, quo nihil mihi exoptatius obtingere*

*possêt, redire permitte. Petitionem justifi-*  
*simam & necessariam rejicere non debes.*  
 Et inferius: *Si forte putas, non licere ti-*  
*bi has preces audire, ne aliorum saluti*  
*noceas, time potius, ne dum merita tibi*  
*apud Deum comparare credis, peccati*  
*reum te facias. Nam in hac terrarum*  
*parte animabus vel nihil profum, vel tam*  
*parum, ut id damno meo longe majore*  
*fiat. In fine epistolæ Papam rogat, ut*  
*precibus ad Deum fuis multis vitæ an-*  
*nos Regi Angliæ impetret. Nam ipse*  
*salvo, inquit, utcunque pace fruimur, sed*  
*Guilielmo sublato nec pacem, nec quodcum-*  
*que aliud bonum speramus. Ceterum*  
 Lanfrancus his literis libertatem, quam  
 cupiebat, non est consecutus, sed quoad  
 vixit Archiepiscopus fuit.

ep. 2.

In altera Epistola Lanfrancus Papam  
 in causa duorum Episcoporum Angliæ  
 consulit. Hermannus Wintoniensis,  
 qui olim abdicato Episcopatu vitam mo-  
 nasticam amplexus fuerat, munus, quod  
 denuo receperat, secundo a se amoliri  
 cogitabat, quod jam senio & morbis fra-  
 cto nihil superesset, quam se se ad mor-  
 tem obeundam paratum præstare; id-  
 que rationi consentaneum Lanfrancus  
 existimabat. Alter Episcopus erat Li-  
 cefel.

cefeldensis, cujus nomen Lanfrancus non  
 prodit. Is ad Papæ Legatos delatus, quod concubinas publice aleret, & alia  
 præterea crimina admisisset, cum ad  
 Concilium vocatus non venisset, ex-  
 communicatus fuerat. Postea Regem  
 adiit cum Aulicis Festa Paschalia cele-  
 brantem, & in conventu Episcoporum  
 Procerumque dimisso Episcopatu, in Mo-  
 nasterium, cujus alumnus puer fuerat, se  
 recepit. Dicit Lanfrancus, se rerum  
 Anglicarum etiamnum rudem non aude-  
 re huic Episcopo alium sufficere, nisi prius  
 a Summo Pontifice mandata acciperet.

Sæculum XI.

A. C. 1072.

## §. LIII.

*Monachi in Ecclesiis Cathedralibus  
Angliæ.*

Tandem Lanfrancus ab Alexandro II.  
 Papa obtinuit, ut in Ecclesiis Cathe-  
 dralibus Angliæ Monachi stabilirentur,  
 qui in ipsis primordiis istarum Ecclesia-  
 rum, ut vidimus, introducti fuerant.  
 Sed invidabant Clerici Sæculares, &  
 mutata in Anglia rerum facie, novi Re-  
 gis auctoritate se pulsos monachis subro-  
 gari posse sperabant, nam ille omnes fer-  
 me Episcopos, quos ad suscipiendam  
 hanc Dignitatem in Anglia nominave-  
 rat, ex Clericorum sæcularium ordine

M 3

evo-